Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8957
Copyright: Melk, Benediktinerstift

mea morte miserior genitale languoris et quod ipsa est morte deterior, spiritu solo vivit, iam carne tota permortua. Rogo ut ad eam adeas atque benedicas; confido enim quod per te reddenda sit sanitati. Qua ille voce confusus obstupuit et refugit dicens hoc suae non esse virtutis, senem errare iudicio, non esse se dignum per quem dominus signum virtutis ostenderet. Perstare vehementius flens pater et orare ut exanimem visitaret. Postremum a circumstantibus episcopis ire compulsus descendit ad domum puelle. Ingens turba pro foribus expectans quid nam dei servus esset acturus. Ac primum que illi erant familiaria in huiusmodi rebus arma, solo prostratus oravit. Deinde egram intuens dari sibi oleum postulat. Quod cum benedixisset in os puelle vim sancti liquoris infudit, statimque vox reddita est. Tum paulatim singula contactu eius ceperunt membra vivescere, donec paulatim firmatis gressibus populo teste surrexit.

Ubi tetradii servum a demonio liberavit et ipsum baptizavit.

Eodem tempore tetradii cuiusdam proconsularis viri servus demonio correptus dolendo exitu cruciabatur. Rogatur ergo martynus ut ei manum imponeret; deduci eum ad se iubet, sed nequam spiritus nullo proferri modo e cella in qua erat potuit, ita in advenientibus rapidis dentibus seviebat. Tum tetradius ad genua beati viri provolvitur, orans ut ad domum in qua demoniacus habebatur ipse descenderet. Tum vero martynus negare se profani et gentilis domum adire posse. Nam tetradius eodem tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spopondit ergo se, si de puero demon fuisset exactus, christianum fore. Ita martynus imposita manu puero inmundum ab eo spiritum eiecit. Quo viso tetradius dominum nostrum ihesum christum credidit, statimque catecuminus factus, nec multo post baptizatus est, semperque martynum salutis sue auctorem miro coluit affectu.

Ubi demoniaco furenti digitos in os intulit et cetera.

Per idem tempus in eodem *festum peragitur* oppido ingressus patrisfamilias cuiusdam domum, in limine ipse restitit, dicens horribile demonium in atrio domus se vidisse. Cui cum ut discederet imperaret, quendam e familia qui in interiore parte edium morabatur arripuit. Sevire dentibus miser cepit et obvios quosque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam versus. Martynus se furenti obiecit ac primum eum stare imperat. Sed cum dentibus fremeret, hianti ore morsum minabatur; digitos ei martynus in os intulit: Si habes, inquit, aliquid potestatis, hos devora. Tum vero ac si candens ferrum faucibus accepisset, longe reductis dentibus digitos beati viri vitabat attingere. Et cum fugere de obsesso corpore penis et cruciatibus cogeretur, nec tamen ei per os liceret, feda relinquens vestigia fluxu ventris egestus est.

Ubi civitatem de metu barbarorum liberavit.

Interea cum de metu atque impetu barbarorum subita civitatem fama turbasset, demoniacum ad se exhiberi iussit; imperat ut an verum esset hoc nuntium fateretur. Tunc confessus est se decem demones fuisse qui rumorem hunc per populum disseminassent, ut hoc saltem metu martinus oppido fugaretur; barbaros nichil minus quam irruptionem cogitare. Ita cum hec inmundus spiritus in media ecclesia fateretur, metu et turbatione presenti civitas